



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Articulus III. Quæ sint reliquæ conditiones confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

is, c. seq. Oppositum autem hactenus putavi & adhuc puto esse certum.

ARTICULUS III.

Quæ sint reliquæ conditiones Confessionis.

R Esp. Præter integritatem sunt hæ tres: " 1165

Prima: ut sit Vocalis, scilicet ordinariè: id est, que propter usum, & praxim Ecclesiæ graviter obligantem, nisi subsit justa causa, ut impotentia, sive physica, sive moralis, quæ si adsit, potest fieri nutu, scripto aliòve signo, v. g. si quis ob anxietatem loqui non possit; aut puella supra modum verecunda aliter se non possit explicare, quàm scripto, quo à Confessario lecto, addat voce, de his me accuso, *Suar. Vasq. Lug. Lay. l. 5. t. 6. c. 6. n. 3.* Imò qui aliter non potest, tenetur juxta communem sententiã confiteri per nutus aut scriptum, tempore præcepti, etsi id, quoad scripturam, non admittant *Nay. Tol. Sot. Val. Dian.* extra articulum mortis. *v. Lugo d. 15. num. 87.* Similiter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto, (licet ad id non teneantur) ne ab aliis audiantur. Eandemque ob causam eos non interrogandos, nisi de plañe necessariis, ex *Poss. docet Dian. p. 3. t. 4. R. 127. & p. 5. t. 6. R. 5. Unde resolves hunc casum:*

Is qui extra necessitatem, totam confessionem facit nutu vel scripto, mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur. *Dian p. 3. t. 4. R. 127. ex Sylv. v. Fill. t. 7. c. 1. Kon. d. 6. dub. 1. Suar. d. 21. j. 3. n. 5.*

Secunda Conditio, ut sit secreta, id est, ut fiat soli Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu

usu Ecclesiæ. Publica autem, qualis in nau-
fragio, prælio, hospitali, ubi alii adjacent, vel
per interpretem fit, non obligat (saltem re-
spectu peccatorum occultorum) nisi ex chari-
tate sui eum, qui in articulo mortis dubitat de
contritione; ac tum adhuc sufficit ea confite-
ri, quæ minorem pariunt infamiam, *Suar. Fa-
gund. Dia. R. 29. &c. Unde resolves,*

Si quis peccata in prioribus confessionibus
oblitus esset, non tenetur etiam in articulo
mortis ea confiteri publicè, vel per interpre-
tem; quia peccatorum oblitorum confessio
tantum obligat ex præcepto positivo divino,
quod in hoc casu cessat. v. *Lay. c. 6. Dian. R. 128.
& 129.*

Tertia Conditio, ut sit vera. Quod requiritur
essentialiter in materia substantiali & necessa-
ria; quia aliàs in re gravi decipietur iudex: ne-
que esset confessio integra, ideoque irrita. Non
tamen in materia libera; tum quia falsitas
signi in accusatione circa materiam accesso-
riam, non facit sententiam irritam; tum quia
talis tantum peccat venialiter, cum non sit
graviter injurius Sacerdoti, nec Sacramento,
Nav. Suar. &c. Unde resolves.

I. Non est mortale, nec irritat Sacramen-
tum, 1. Si in confessione mentiaris leviter, cir-
ca res non pertinentes, aut non necessarias ad
Sacramentum, v. g. si historiam falsam narras,
vel si neges veniale, vel mortale, quod non te-
neris confiteri. 2. Si falsò te accuses de veniali:
quod tamen mortale grave erit, si id facias
non dando aliam materiam, cum sic formam
reddas irritam & Sacramentum: nisi tamen
facias ex scrupulo, perturbatione, *Suar. Fill.
c. 4. Laym. c. 8. Dian. R. 96.* II.

II. Sacrilegium est, & absolutio nulla, 1. Si mortale, quod confiteri teneris, & putas esse, neges aut tegas, ne intelligatur, ut communiter docetur contra Sylv. 2. Si mortale tibi falsò imponas; nisi tamen fiat ex simplicitate, scrupulo &c. 3. Si neges vel mentiaris circa peccata aliàs ritè absoluta, quando Confessarius, ut Index vel Medicus, de iis aliquid, ut necessarium ad præsentem confessionem, interrogat, Lug. d. 14. à n. 142. Tambur. l. 2. c. 10. §. 2. secus si ad præsentem confessionem non faciat. Ibid.

A D D E N D A.

Quest. 159. Quenam universim sint conditiones bonæ confessionis. & S. Thom. in suppl. q. 9.

2. 4. eas comprehendit his versibus:

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, libens, vere-*

cunda,

Integra, secreta & lachrymabilis, accelerata,

Fortis & accusans, & sit parere parata.

Harum qualitatum aliæ sunt necessariæ, aliæ sunt ad bene esse confessionis, inquit S. Thom. cum quo sic explicari possunt, 1. *Simplex*, ut nihil non necessarium vel impertinens admisceatur. 2. *Humilis*, ut fiat cum agnitione suæ miseræ, sine fuco vel ornatu verborum; item aperto capite & flexis genibus, quorum unum si sine causa rationabili omittatur, dicunt Authores cum Escob. l. 15. probl. 11. peccari venialiter. Huc etiam spectat, ut deponatur gladius, nisi pœnitens profiteretur militiam pro tuenda fide, quod faciunt Melitenses & Teutonici, de his enim docet J. Sanch. d. 45. meritò ge-

ge-

gestare gladium in receptione Sacramento-
rum, sed si etiam alii non deponant, notat n. 6.
non fore peccatum, quamvis in his locis sit
consuetudo deponendi ad humilitatem & ma-
jorem reverentiam. 3. *Pura*, ut fiat ex fine bo-
no sive rectâ intentione. 4. *Fidelis*, ut sit sine
mendacio & falsitate, ita ut nec neget, quod
commisit, nec affirmet, quod non commisit,
& dicat certa pro certis & dubia pro dubiis. 5.
Frequens, ut sæpe fiat. 6. *Nuda*, ut peccata clarè
manifestentur, non involvantur verbis dubiis
vel obscuris, possitque intelligi, an veniale
tantum, an verò mortale sit contractum, sæpe
enim, quamvis materia sit levis, peccatum
propter erroneam vel dubiam conscientiam
fuit mortale, & è contrà quando materia est
gravis, propter defectum plenæ advertentiæ
vel consensûs, peccatum fuit veniale tantum,
& hoc tenetur dicere pœnitens, quia ex mate-
ria intelligi non potest. 7. *Discreta* sive prudens,
ut neminem præter se accuset. 8. *Libens*, impri-
mis ut non fiat ex metu humano, deinde ut pœ-
nitens suâ sponte edicat peccata, nec opus sit
per interrogationes extorqueri. 9. *Verecunda*,
ut fiat imprimis verbis honestis, ita tamen, ut
species peccati intelligatur: deinde non proter-
vè per modum jactantiæ. 10. *Integra*, ut nihil
necessarium omittatur, de quo jam antè satis est
dictum. 11. *Secreta*, ut voce fiat ad aurem solius
Sacerdotis. 12. *Lachrymabilis*, ut cum sincero
dolore & proposito. 13. *Accelerata*, ut non diu
differatur. 14. *Fortis*, ut propter verecundiam
veritas non dimittatur, nec omittatur integri-
tas. 15. *Accusans*, ut fiat tanquam à reo coram
Judice ex intentione absolutionis; item ne pec-
cata

cata sic excuset, quasi non sint peccata, vel ut mortalia appareant dubia aut venialia. 16. *Parere parata*, ut pœnitens paratus sit obedire Confessario, tum in acceptanda pœnitentia, quam injunxerit, tum in exequendis remediis peccatorum, quæ suggesserit. Potest videri *Stoz* l. 1. p. 3. à n. 28., ubi hæc omnia fusè & ad praxin accommodatè explicat.

Q. 160. Quid notandum sit circa finem malum, 1167

ex quo fieri potest Confessio. R. §. 1. Si Confessio fiat ex fine mortaliter malo, invalidatur Sacramentum, quia tum deest verus dolor saltem de illo mortali, nec adest propositum cavendi omne mortale. Si autem fiat ex fine tantum venialiter malo, poterit quandoque invalidari Sacramentum, plerumque tamen manebit validum, uti habet communis cum *Lugo* d. 15. n. 226. *Arr.* d. 38. n. 47. *Dicast.* d. 8. n. 81. *Aversa* q. 10. f. 5. *Bosco* d. 7. f. 7. à n. 97. contra *Sylv.* & alios paucos, qui putant tum semper invalidari Sacramentum, sed jam ostendetur oppositum, nam

§. 2. Si fiat ex fine venialiter malo, v. g. vanæ gloriæ, hic actus imperans vanæ gloriæ potest se ita habere, ut efficaciter determinet ad actum imperatum essentialiter à se dependentem pro eodem instanti ponendum: & in hoc casu actus imperatus non habet propriam libertatem vel moralitatem distinctam à libertate vel moralitate actus imperantis, consequenter si intentio confitendi concepta ex fine vanæ gloriæ efficaciter imperaret dolorem de peccatis pro eodem instanti ponendum, hic dolor tantum haberet libertatem & moralitatem illius actus imperantis, qui est peccaminosus,

Tom. VI.

T t

ergo

ergo dolor ille non esset actus bonus, ergo nec supernaturalis, ergo nec sufficiens pro Sacramento Pœnitentiæ, ergo tale Sacramentum esset invalidum. Hoc tamen rarò continget, quia intentio confitendi rarò imperat dolorem pro eodem instanti, quo primò est illa intentio, pro sequente autem tempore, quamvis dolor postea sit effectus illius intentionis, tamen est effectus contingenter secutus, quia potuisset revocari illa intentio & actus doloris non poni.

1169 §. 3. Quamvis ita præcesserit aut etiam adhuc comiteretur actus vanæ gloriæ imperans Confessionem, tamen si dolor de aliis peccatis imperetur etiam ab alio actu honesto, v. g. ab intentione justificationis, dolor imperatus & ita contingenter sequens ad intentionem vanæ gloriæ poterit habere suam propriam libertatem & bonitatem intrinsecam, non enim procedet intrinsecè ex illo fine vanæ gloriæ, sed ex proprio suo motivo, v. g. turpitudinis peccati, ergo poterit esse intrinsecè honestus, supernaturalis & sufficiens ad valorem Sacramenti, cum peccatum illud veniale vanæ gloriæ non pugnet cum efficace dolore de aliis peccatis, nec cum gratia per Sacramentum causanda. Et dicendum est ita fieri, si v. g. adolescentes confiteantur, ut censeantur pii sodales, ut placeant suis Magistris &c. si enim hoc non dicatur, cogemur dicere omnes ejusmodi Confessiones esse mortaliter sacrilegas.

1170 *Obji. 1. S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2. ait, voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi, sed in nostro casu intentio mala erit causa volendi dolorem, ergo dolor non poterit esse bonus &c. Tantum vult volitionem, quæ pro*
fine

fine & motivo habet aliquid malum, non posse esse bonam, hinc statim subjungit, *qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id, quod de se est bonum, sub ratione mali*, hinc patet, quod non loquatur de casu nostro, nam, secundum dicta, volitio, quæ est dolor, non habet pro fine vel motivo vanam gloriam, sed pro fine habet justificationem & pro motivo turpitudinem peccati.

Obji. 2. Dolor ille habebit à motivo vanæ gloriæ, quod existat, ergo non erit honestus. *R.* n. conf. sicuti si Superior ex meo odio mihi imperet orationem, mea voluntas orandi habet à motivo odii, quod existat, sed non ideo est in se inhonesta.

Inst. 1. Actus ille imperans vanæ gloriæ habebit initium ex nobis, & dolor habebit initium ab actu illo imperante malo, ergo dolor habebit initium ex nobis, ergo non erit supernaturalis. *R.* n. secundam partem antecedit. sicuti enim si ideo, quia peccavi, velim elicere dolorem, dolor meus, quamvis præsupponat peccatum & occasione illius fiat, non ideo habet initium à peccato vel ex nobis, sed à gratiis actualibus partim illustrantibus intellectum, partim moventibus voluntatem ad dolorem ponendum, ita & hic, gratiæ autem illæ, quæ sunt initium doloris, causant actum honestum, quo imperatur dolor ex fine justificationis, & per accidens præcessit vel comitatur actus vitiosus ex motivo vanæ gloriæ, qui non obstat honestati intrinsecæ & supernaturalitati doloris.

Inst. 2. Actus intrinsecè bonus non potest imperari ex malo fine, sed dolor debet esse actus

intrinsecè bonus, ergo non potest imperari ex malo fine. *℞.* Actus intrinsecè bonus non potest imperari ex malo fine, qui sit essentialis, & intrinsecus actui imperato, c. si finis malus sit actui imperato accidentalis & extrinsecus, n. actus enim intrinsecè bonus per respectum ad suum finem intrinsecum & ad sua motiva honesta potest per accidens denominari extrinsecè malus ex fine actus imperantis, à quo dependet, non tamen procedit ex illius fine, neque in hunc illius finem tendit, sicuti oratio, quam Superior mihi imperat ex fine malo, est bona intrinsecè, sed denominatur extrinsecè mala ab imperio Superioris, ex cuius fine non procedit, sed ex alio sibi proprio & honesto, v. g. colendi Deum. Esse autem extrinsecè denominativè malum nihil aliud est, quàm esse malum in causa, sive procedere à causa mala, quod non obest bonitati ipsius intrinsecæ, sic enim causa Incarnationis de se bonæ fuit peccatum Adami.

1172 *Obji. 3.* Si actus malus possit imperare bonum, ergo actus bonus etiam poterit imperare malum. *℞. n. seq.* quia bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu, uti ex *S. Dionys.* habet *S. Tho. 1. 2. q. 18. a. 4. ad 3. & q. 20. a. 2. O.* ergo hoc ipso quod actus aliquis imperet actum malum, habet finem & objectum malum, ergo est malus; ex hoc autem quod actus aliquis pro fine & objecto habeat actum bonum, non sequitur esse bonum, quia aliunde ex motivo vel circumstantia potest esse vitiosus, uti constat ex dictis.

Inst. 1. Si bonum sit ex integra causa; ergo hic dolor imperatus per actum, cuius motivum est

imperari ex
bonus non
sit essentialis,
i finis malus
extrinsecus, n.
espectum ad
motiva ho-
inari extrin-
s, à quo de-
us fine, ne-
cuti oratio,
ne malo, est
ur extrinsec-
ujus fine non
honesto, v.
insecè deno-
uam esse ma-
a mala, quod
e, sic enim
it peccatum

est vana gloria, non erit bonus, quia non erit
ex causa bona. R. Ergo hic dolor non erit bo-
nus in se & formaliter, n. non erit bonus extrin-
secè & denominativè in illa causa, quæ est inten-
tio vanæ gloriæ, c. seq. sed hoc non obest boni-
tati illius intrinsecæ, uti constat ex dictis.

Inst. 2. Elicere dolorem ex malo fine impe-
ratum est cooperari malæ intentioni imperan-
tis, ergo est peccatum. R. Est cooperari forma-
liter, siue intendendo eundem malum finem, n.
materialiter & non intendendo illum malum fi-
nem, sed alium honestum, nempe justificatio-
nem c. ant. & n. conf. nam ex dictis l. 2. à num.
250. certum est sæpè honestum esse materialiter
cooperari actioni malæ.

Obji. 4. Quando intentio finis est mala, ele-
ctio medii est etiam mala, ergo quando actus
imperans est malus, actus imperatus etiam est
malus. R. n. conf. electio medii est propter uti-
litatem medii ad finem, ergo intrinsecè intendit
illum ipsum finem malum, quem intendit in-
tentio, ergo si intentio finis sit mala, etiam ele-
ctio medii est mala: E contra actus imperatus
non necessariò intendit omnem finem, quem
intendit aliquis actus imperans, uti constat ex
dictis.

Inst. Finis intentionis hic est malus, nempe
vana gloria, sed dolor & Confessio sunt veluti
electio medii ad istum finem, cum per Confes-
sionem comparanda sit vana gloria, ergo. R. n.
min. nam idem actus imperans est intentio va-
næ gloriæ & electio doloris ac Confessionis
tanquam medii ad obtinendam vanam glo-
riam, hinc dolor & Confessio sunt tantum hoc,
quod eligitur in ordine ad vanam gloriam.

T t 3

ipsa

ipsa autem non sunt electio vanæ gloriæ, nec pro fine suo intrinseco habent vanam gloriam sed justificationem, & per accidens ac planè extrinsecum ipsis est, quòd ad alium finem referantur ab actu imperante malo.

1174

Obji. 5. Est mortalis irreverentia intendere Sacramentum ex fine quamvis venialiter tantum malo. *R. n. ass.* est enim improbable, inquit *Arr. num. 45.* hoc ipso peccari mortaliter, quòd aliqua actio sacra ordinetur ad finem malum, quamvis enim in hoc sit aliqua inordinatio, si tamen hic finis sit tantum venialiter malus, non potest refundi malitia nisi venialis, quia finis non potest, per se loquendo, dare electioni majorem malitiam, quàm in se habeat, hinc etiam communicare ex vana gloria non potest esse nisi veniale.

Haftenus dicta possunt videri fusissimè deducta apud *Lugo d. 15. s. 9. & 10.*

1175

Q. 161. Quid addendum sit circa fidelitatem & sinceritatem in Confessione observandam. R. seqq.
§. 1. Mentiri in Confessione est non tantum contra veracitatem, sed etiam contra religionem adeoque sacrilegium, quia est irreverentia contra Sacramentum vel ejus authorem, quæ potest esse gravis vel levis, uti habet communis cum *Suar. d. 22. s. 10. n. 3. & Ills. n. 61.* E contra mentiri in Confessionali quidem sed ante Confessionem vel post absolutionem non ideo est sacrilegium, quia hoc mendacium non afficit Sacramentum, *Gob. tr. 6. n. 545. Ills. n. 60.*

1176

§. 2. Qui mentitur circa materiam necessariam Confessionis, vel negando mortale, quod fecit, vel affirmando mortale, quod non fecit, peccat mortaliter, quia sic mentiens vel non

con-

confitetur integrè, vel saltem decipit Judicem
in re gravi spectante ad substantiam iudicii,
consequenter tollit à Sacramento veram ratio-
nem iudicii, ergo committit irreverentiam gra-
vem, *Suar. n. 11. Gormaz p. 2. num. 150. quod*
Lugo d. 16. n. 100. meritò dicit esse certum, si
neget mortale, quod fecit. Et idem certum esse
dicunt Aversa s. 10. q. 5. & Tamb. De conf. l. 2. c.
10. n. 39. si affirmet mortale, quod non fecit. Si
autem mortale, quod non fecit, dicat se quidem
fecisse, sed antehac esse confessum, quamvis
Lugo d. 14. n. 125. Dicast. d. 8. n. 57. Aversa supra
adhuc dicant fore mortale, quia mendacium
grave cumulat novo mendacio, tamen proba-
biliter contradicunt Tann. & Bosco s. 7. nu. 164.
quibus favet Arr. d. 31. num. 62. hoc ipso enim,
quod addat se antehac confessum, jam non vult
super illud cadere substantiale iudicium Con-
fessarii, sed vult judicari de illo tanquam de
materia libera, in quo iudicio, quamvis erret
Confessarius, errat circa materiam non necessa-
riam Confessionis, & de qua non opus est hic &
nunc ipsum judicare; si autem fingat mortale
& nihil addat, sed illud quasi primò confitea-
tur, decipit Judicem in materia, quam ex modo
confitendi significat esse necessariam.

§. 3. Qui mentitur circa materiam non ne- 1177
cessariam Confessionis, vel negando veniale,
quod fecit, vel affirmando veniale, quod non
fecit, vel mentiendo circa peccata etiam mor-
talia aliàs ritè confessa, aut quæ hic & nunc non
tenetur confiteri, peccat tantum venialiter,
dummodo absolutioni subjiciat aliam mate-
riam sufficientem, de qua habeat sincerum do-
lorem & propositum, *Suar. Vasq. Arr. n. 55. Lugo*
d. 16.

d. 16. n. 99. *Castrop.* tr. 23. p. 10. n. 4. *Dicast.* n. 51. *Gormaz* supra, *Illj.* n. 61. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 34. quod *Tamb.* nu. 43. dicit esse certum, est autem contra *S. Bonavent. Caj. Palud. Ledesin. Arm.* & alios, qui putant fingere veniale in Confessione semper esse mortale, sed ratio nostra est, quia licet sit aliqua irreverentia, tamen non probatur esse gravis, cum non tollat rationem veri iudicii respectu substantialium, & Confessarium decipiat tantum in materia libera, sine qua potest esse valor Sacramenti. Hinc sequitur contra *Dicast.* n. 61., si quis confiteatur mortale antehac rite confessum, quamvis de hoc non doleat, dummodo doleat de aliis, quæ confitetur, non peccaturum mortaliter. Idem certum esse dicit *Tamb.* n. 44. si neget mortale rite confessum, nec faciens ad præsentem Confessionem. *Dixi*, dummodo absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem, nam si nihil confiteretur præter veniale fictum, peccaret mortaliter, non ratione mendacii, sed quia faceret absolutionem esse irritam, utpote carentem debita materia, uti notant omnes communissime cum *Gob.* n. 541. *Stoz* n. 34. *Dian.* p. 3. t. 4. R. 96. contra *Phil. Fabrum.*

1178 §. 4. Mortale est confiteri mortale dubium tanquam certum, vel certum tanquam dubium: item confiteri determinatum numerum mortalium pro dubio, aut dubium pro determinato, aut majorem quam reipsa putes esse, quia corrumpis iudicium in re gravi, quamvis aliquando excuset bona fides & ignorantia, secundum dicta n. 922.

1179 §. 5. Si confitearis mortale, & dicas te illud antehac confessum esse, cum tamen non sis con-

confessus, aut te non esse confessum, cùm tamen sis confessus, *Dicast.* d. 9. nu. 147. dicit te peccare tantùm venialiter, quia explicas totam malitiam peccati, quòd autem sis vel non sis confessus, non tenet se ex parte peccati, sed tantùm ex parte tua, nec immutat peccatum in se. E contra *Tamb. c. 1. n. 6. Bosco* à n. 183. dicunt esse mortale, quia licèt hoc non immutet peccatum physicè, tamen immutat moraliter, & directè pervertitur iudicium Confessarii circa materiam notabilem confessionis, quod enim erat materia necessaria, dicis esse liberam, & quod erat libera, dicis esse necessariam, ergo est aliquid moraliter se tenens ex parte peccati explicandi, ergo sicuti peccat mortaliter secundùm omnes cum *Castrop.* suprà, qui confitens mortale dicit esse veniale, aut confitens veniale dicit esse mortale, ita & hic. Et quidem si dicas te confessum esse, quando confessus non es, meritò cum *Castrop.* tenet *Ills.* n. 119. ac videntur certò evincere illa, quæ fusè adfert *Moya* d. 1. q. 3. §. 2. ideoque *Leander* apud eundem n. 17. dicit hoc esse certissimum. Si autem mortale aliàs confessum dicas non esse confessum, probabiliter videtur loqui *Dicast.* secundùm dicta n. 1177.

§. 6. Si confitearis peccatum antehac confessum, non est opus hoc exprimere, dummodo non neges te esse confessum, *Suar. Sanch. Côn.* aliique communissimè cum *Moya* n. 18. contra *Turr.* & alios. Ratio est, quia confiteris totam malitiam, quæ est ex parte objecti, prout semper manet materia confessionis. *Nec obstat*, quòd peccatum remissum plùs differat à non remisso quàm veniale à mortali, sit autem obli-

gatio exprimendi, an sit veniale an mortale, nam si argumentum valet, ergo etiam in prima confessione exprimere debes, si fueris de illo contritus, tum enim etiam esset remissum, hoc autem nemo dicit: Itaque esse veniale vel mortale, est substantia peccati ex parte objecti, hinc debet exprimi, esse autem confessum vel non confessum est circumstantia ex parte penitentis, de qua non necessario judicare debet Confessarius.

1181 §. 7. Si confitearis mortale antehac non confessum, te teneri hoc exprimere docent *Th. Hurt. Bonaspei, Castrop. n. 8. & accerrimè Moya §. 2. item Turr. vocans oppositum perniciosum & improbabile, tum quia hoc plurimum facit ad formandum iudicium de statu penitentis & ad imponendam penitentiam, tum quia aliàs confessio non erit verecunda, quæ tamen duo Trid. sess. 14. De pœn. c. 5. requirit ad hoc Sacramentum. Oppositum tenent Bonac. Homob. Ver-ric. Dian. Lugo, Dicast. Amic. Tamb. n. 1. Arr. n. 19. Bosco à n. 173. Aversa s. 2. §. Rursus, Gob. tr. 7. n. 585. Ills. nu. 118. dicentes posse confiteri præscindendo ab hoc, quamvis prævideat Confessarium putaturum esse antehac confessum, dummodo ex vi confessionis non inducat in illum errorem, sed tantum permittat: Et Lugo dicit Turr. sine fundamento excessisse in illa censura, Arr. dicit gravissimè errasse: Addunt Suar. Côn. Sanch. Dicast. n. 294. eum, qui confite- tur peccatum, de quo dubitat, an antehac sit confessus, non teneri dicere se dubitare, an sit confessus, uti nec quod commiserit ante vel post ultimam confessionem: Ratio horum omnium est, quia quod fuerit confessus vel non, quod*

quòd commiserit ante vel post ultimam Confessionem, non immutat malitiam peccati, quam totam explicat, nec opus est Confessarium de istis positivè judicare, sed absolvere debet peccatum, ac si nunquam fuisset confessus, & quamvis recenter esset commissum, id enim censetur velle pœnitens, hoc ipso, quòd non dicat se antehac esse confessum, verecundiam autem debitam & sufficientem habet hoc ipso, quòd dicat se tale peccatum commisisse. *Nec obstat*, quòd pœniteus teneretur ista fateri, si Confessarius interrogaret, *nam* teneri negat *Dicast. n. 147.* & idem insinuat *Arr. n. 21.* hoc tamen concessio, non sequitur pœnitentem teneri suâ sponte hoc dicere, sicuti secundum dicta à n. 968. non teneor ex me dicere, an habeam consuetudinem peccati, quod confiteor, quamvis teneor fateri, si interroger: hinc

§. 8. *Aversa §. Similiter. Dian. p. 11. t. 6. R. 1182*
 22. *Dicast. n. 149. Tamb. n. 2. Illf. supra* alique Authores secundæ sententiæ inferunt contra *Martinon* & Authores reliquos primæ sententiæ, illum non peccare, qui dicit se velle confiteri generaliter, & peccatis confessis miscet nova nunquam confessa, tacendo nunquam esse confessa, nam per illa verba, *volo confiteri generaliter*, non dicit se velle confiteri sola peccata antehac confessa, sed illa, quæ fecit in vita, sive sint nova, sive antiqua; & hanc sententiam vocat meritò longè communiozem *Lohn. De conf. p. 2. c. 12. §. 2. q. 10.* dicitque securè praticari. In utroque tamen casu excipiunt omnes, 1. Si inter nunquam confessa esset reservatum, à quo absolvere non posset hic Confessarius. 2. Si species peccati nunquam confessi aliter

ter non intelligeretur, v. g. quia recenter emiserit votum castitatis, & peccatum contra castitatem intelligeretur, quasi factum ante votum. 3. Si Confessarius alioqui sine alia iusta causa esset impositurus poenitentiam longè minorem & improporcionatam, quia malè supponeret omnia antehac expiata esse, tum enim per accidens esset obligatio distinguendi non confessa à confessis, aut saltem petendi maiorem poenitentiam, hinc ordinariè semper expedit distinguere non confessa à confessis, etiam ideo, quia circa nunquam confessa communiter diligentius interrogare debent Confessarii, ut bene explicetur species & numerus, quod ordinariè supponitur factum esse circa confessa.

1183 §. 9. Si quis dixisset se velle confiteri generaliter de tota vita, & sponte omitteret aliqua mortalia antehac rite confessa, certum est, inquit *Arr. n. 23.* non ideo peccaturum mortaliter, quia si mentitur, hoc non fit in materia necessaria confessionis: Si autem tantum dixisset se velle confiteri de tota vita, non ideo nequidem sub veniali teneretur confiteri omnia, tantum enim significavit, se velle aliqua ex singulis partibus vitæ. Quod si initio voluisset & dixisset se velle generaliter confiteri omnia de tota vita, postea autem ex rationabili causa superveniente omitteret aliqua, etiam non peccaret nequidem venialiter, quia tantum mutaret priorem voluntatem, quam non tenebatur retinere, nec tenetur illius mutationem manifestare Confessario, *Diana p. 3. t. 4. R. 86.* Si tamen initio hoc dicens habuisset voluntatem reticendi aliqua mortalia, communior sententia est cum *Lugo n. 56.* fore mendacium, sed veniale

niale tantum, quamvis *Tamb. n. 7. Stoz supra, Dicast. n. 163.* adhuc excusent ab omni peccato, quia sensus illorum verborum videtur esse accommodus, scilicet quod vellet confiteri omnia, prout ipsi videretur, vel prout placeret, & ita videntur verba illa intelligere Confessarii, sicuti enim non ideo tenetur confiteri omnia etiam venialia, ita nec mortalia.

§. 10. Dicere unum individuum physicum 1184 peccati pro alio non invalidat confessionem, uti recte cum aliis *Moya q. 2.*, dummodo sit eadem malitia moralis in utroque: hinc dicere se occidisse anno præterito, cum sciat se occidisse hoc anno, est tantum veniale mendacium, *Arr. n. 22. Bosco à n. 186.* Quod verum est, etiam in sententia identificante actionem cum sua duratione, quidquid contradicat *Dicast. à n. 150.*, quia quamvis duo illa homicidia in esse physico distinguantur, tamen sunt moraliter idem, nec notabiliter ideo immutari debet iudicium Confessarii, quod fertur, non secundum species entis seu naturæ, sed secundum speciem moris, inquit recte *Suar. d. 22. f. 2. n. 3.* totam autem moralitatem expressit, quæ erat occidisse, occidisse autem hoc vel præterito anno non erat materia necessaria confessionis. Idem est, si dicat se occidisse Petrum, cum sciat se occidisse Paulum, inquit *Moya & Bosco supra contra Lugo, Tamb. & Leandrum*, quia solum homicidium erat materia necessaria, quod autem esset Petri aut Pauli, non erat necessarium exprimere. Idem est, si dixerit se occidisse gladio, cum sciat se occidisse cultro, hoc enim non diversificat peccatum in esse moris, *Côn. d. 7. dub. 2.* Hinc qui dixit se peccasse

câsse cum Caja, licet postea recordetur fuisse Titiam, non ideo tenetur quidquam repetere, uti omnes fatentur. Excipe semper, nisi ratione diversitatis physicæ accederet alia species vel malitia moralis, v.g. si Paulus occisus fuisset Sacerdos, non autem Petrus, si Titia corrupta fuisset cognata, non autem Caja, & ita de similibus.

1185 §. 11. Si quis in Confessione mentiatur in re gravi non pertinente ad Confessionem, v. g. si in re falsa graviter detrahat proximo, aliqui putant non addi speciem sacrilegii, cum non sit in re spectante ad Confessionem, sed certum est ideo esse sacrilegium, quia per actuale mortale absolutio redditur irrita.

1186 §. 12. *Victoria* putavit illum, qui prius alteri confitetur mortalia, & postea suo ordinario Confessario sola venialia, invalidè confiteri, & eò etiam inclinât *Sylv.*, quia talis videtur in re gravi committere hypocrisin & reale mendacium, dum sic confitendo æquivalenter dicit se ab ultima Confessione illi factâ commisisse sola venialia: sed *Suar. Côn. Laym. Henriq. Raynaud. Lugo* n. 57. *Castrop.* n. 10. *Dicast.* n. 164. *Dian. R.* 133. *Burgh.* cent. 2. casu 79. *Gormaz.* n. 151. & reliqui omnes, teste *Arr.* n. 23. meliùs dicunt, per se loquendo, id esse licitum, utitur enim jure suo, & quòd Confessarius decipiatur, hoc permittit: Imò licet à suo Confessario interrogatus diceret se ab ultima Confessione ipsi facta non commisisse mortale, *Rayn.* putat nullum fore peccatum, si subintelligat, ut tibi sateri *tenear.* *Bosco* n. 171. putat saltem fore veniale tantum, cum sit circa materiam non necessariam hujus Confessionis: rectè tamen addit me-
lius

ius esse sincerè totam Conscientiam ordinario Confessario aperire: hinc *Lugo* d. 15. nu. 184. dicit regulariter esse vituperabile ita dimidiatè confiteri uni & alteri: *Castrop.* dicit timendum, ne incognitos Confessarios quærendo salutem animæ amittat: putatque cum *Dicast.* d. 8. n. 89. in eo intervenire aliquid vanitatis vel similis affectûs: & communiter signum est animi non satis dispositi ad emendationem, pro qua medium optimum est adire & sequi unum Confessarium. *Dixi*, per se loquendo, nam si pœnitens ideo faceret, quia esset in proxima occasione peccandi ordinario Confessario notâ, quam noller vel difficillimè veller deferere; aut quia aliunde timeret sibi ab illo negandam absolutionem; aut si prævideret sibi defuturum consilium necessarium ad cavendos relapsus, invalidè confiteretur, quia non esset paratus præstare id, ad quod justè obligandus esset. Quòd si suo ordinario priùs confiteretur sola venialia, & postea alteri mortalia, patet primam Confessionem fore sacrilegam defectu integritatis. Ex occasione hujus casûs monent re-
dè Authores, Confessarios non debere ita ar-
ctare pœnitentes, ut sibi solis confiteantur, de
quo plura dicam n. 1772.

§. 13. Si quis nolens confiteri, ingrediatur 1187
Confessionale, simulando formaliter, id est, intendendo, ut videntes judicent illum velle confiteri, est reale mendacium & peccatum veniale, secundum dicta l. 6. p. 1. n. 151. Si autem faciat volens loqui Confessario, quamvis prævideat alios putaturos, quòd confiteri velit, nullo modo peccat, quia est simulatio materialis tantum circa rem indifferenter se habentem.

bentem ad Sacramentum, ideoque potest erro-
rem illum in circumstantibus permittere, uti
cum Carden. & aliis dixi ibidem. n. 158.

1188 Q. 162. Quid addendum sit circa conditionem il-
lam, ut Confessio sit secreta. & seqq. §. 1. Conc. La-
teranense cap. Omnis utriusque Sexus. De poen. &
remiss. sic habet, Omnis & c. sua solus peccata sal-
tem semel in anno fideliter confiteatur. Trid. autem
sess. 14. De poen. c. 5. ait, Caterum quoad modum
confitendi secretum apud solum Sacerdotem, etsi Chri-
stus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum
scelerum & suam humiliationem, cum ob aliorum ex-
emplum, tum ob Ecclesiae offensae adificationem deli-
cta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc di-
vino praecepto mandatum, nec satis consultè humanā
aliquā lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secre-
ta, publicā essent confessione aperienda, unde cum a
sanctissimis & antiquissimis Patribus magno una-
nimiq; consensu secreta confessio sacramentalis, quā
ab initio Ecclesia sancta usa est & modò etiam utitur,
fuerit semper commendata & c. Et can. 6. sic definit,
Si quis & c. dixerit modum secretè confitendi soli Sa-
cerdoti, quem Ecclesia Catholica semper observavit
& observat, inventum esse humanum, anathema sit.

1189 §. 2. Ex relatis locis pater, imprimis contra
Hæreticos, Confessionem ordinariè debere es-
se secretam, pro quo etiam sanctos Patres ad-
ducit Suarez. d. 21. s. 2. n. 2. Deinde contra Ga-
brielem & alios apud Escob. l. 15. n. 306. non es-
se de necessitate Sacramenti, ut Confessio sit se-
creta, sed posse esse publicam: in quo non con-
tradicare Scotum conatur suadere Bosco s. 7. à n.
8. Præterea contra Henric. & Gran. apud Escob.
n. 209. non esse praeceptum divinum, ut Con-
fessio sit secreta, hoc enim satis apertè docet
Trid.

Trid. supra, dicuntque etiam *S. Tho.* aliique communissimè cum *Dicast.* d. 8. n. 20., qui addit esse certum. Denique licet *Suar.* n. 12. dicat propter Ecclesiæ consuetudinem contrariam non cariturum culpâ, qui sine ulla causa rationabili publicè confiteretur, tamen communior sententia est cum *Escob.* n. 314. & *Stoz* l. 1. p. 3. n. 79. contra *Valent. Gran.* & *Fagund.* non fore mortale, sed ad summum veniale, nulla enim ratio evincit, quòd talis consuetudo graviter obliget, & saltem tum erit veniale, si pœnitens sine iusta causa vel prudente motivo ita famam suam prodigar: mortaliter autem peccant illi Confessarii, de quibus *Stoz* n. 80. qui pueros doli capaces faciunt simul publicè confiteri, ut sic se citò ab audiendis singulorum confessionibus expediant, hoc enim est contra sigillum, contra omnem praxin Ecclesiæ, & aptum parere scandala ac causare confessiones sacrilegas per reticentiam aliquorum mortalium in aliquibus ejusmodi pueris, saltem ratione conscientiae erroneæ. Confessarium autem non posse peccatorem occultum in foro sacramentali cogere ad publicam pœnitentiam, aut ideo illi negare absolutionem, quia publicam pœnitentiam admittere recusat, probabitur num. 1265.

§. 3. Non est obligatio, nequidem semel 1190 in anno, confitendi per interpretem, cum tantum præcipiatur confessio secreta, quæ fiat à solo pœnitente vel soli Sacerdoti, uti constat ex relatis verbis Conciliorum, docentque Authores plurimi cum *Scot. Suar. Vasq. Gran. Bon. Fagund. Gormaz* nu. 37. *Dicast.* d. 7. s. 14. *Castrop.* tr. 23. p. 8. n. 12. *Lugo* d. 5. n. 75. *Stoz* n. 77. *Bosco* n. 22.

22. *Busenb.* suprâ: quod *Valent. Arr.* d. 51. n. 53. *Bosco* n. 35. *Busenb.* extendunt etiam ad articulum mortis, si enim scirem Confessarium unico homini revelaturum meam confessionem, non tenerer etiam in articulo mortis ei confiteri, ergo nec tenebor per interpretem. E contra teneri aliquando, & speciatim in articulo mortis, docent *Con. Lugo* n. 66. *Escob.* n. 323. *Laym.* l. 5. t. 6. c. 6. n. 5. putatque meritò *Castrop.* n. 13. certum esse, si quis non sit certus de contritione, de qua nunquam est aliquis satis certus. Addit *Aversa* q. 10. l. 5. quamvis de contritione esset moraliter certus, adhuc pro majori securitate salutis teneri confiteri saltem aliquod veniale, de quo non erubescit, ut sic indirectè ab omnibus absolvatur: Et *Dian.* p. 3. t. 4. R. 29. suadet, ut sic confiteatur etiam omnia mortalia, quia sic magis consulit securitati salutis in extremo periculo, nec certum est non esse obligationem ad hoc etiam ex præcepto divino, uti suadent illa, quæ habet *Escob.* n. 322.

1191. Q. 163. Quid addendum sit circa conditionem confessionis, ut fiat vocaliter apud Sacerdotem presentem R. seqq. §. 1. c. *onc. Florent.* in Decreto Eug. IV. Ad Armenos, pro materia hujus Sacramenti assignat confessionem oris: Et *Benedictus XI.* in extrav. *Inter cunctas*, De privilegiis, sic habet: Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confessio, prout scriptum est: corde ad iustitiam creditur, ore autem fit confessio ad salutem. & Cap. *Quem poenitet.* 88. De poen. Dist. 3. sic habetur: Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda, quia per vos peccastis, per vos

eru-

erubescatis, erubescencia enim ipsa partem habet remissionis. Ex his patet confessionem, ordinariè saltem, fieri debere voce pœnitentis.

§. 2. Accusatio suâ tanquam peccatoris secundum omnes, teste *Escob.* l. 15. n. 324. potest sufficienter fieri per nutus vel aliqua signa, itemque per scripturam, ut patet in mutis, quos certum est, inquit *Escob.* n. 342. teneri per nutus confiteri, ut præceptum impleant. Et in necessitate sufficienter fieri per quodcunque signum externum doloris, constat ex dictis à n. 1156. de absolutione moribundi: Hinc etiam patet confessionem quandoque fieri posse scripto, nutu vel aliis signis.

§. 3. Nemo tenetur scribere confessionem, ne peccata è memoria excidant, uti contra *Vasq.* & alios tenent *Caj. Sot. Valent. Henriq. Tann. Aversa* q. 10. l. 4. §. *Quartò, Castrop.* tr. 23. p. 10. n. 3. *Dicast.* d. 8. n. 244. *Sporer* nu. 487. tum quia non teneor adhibere nisi moralem diligentiam, ne peccata memoriâ excidant, quam adhibere possum sine scriptione; tum maximè quia confessio petit esse secreta, omnis autem scriptura ex suâ natura nata est esse publica, inquit *Scotus* in 4. dist. 17. in fine, præsertim si debeat diu asservari.

§. 4. *Ledesm. Victor. Sot. Nav. Valent. Barb. Dian.* apud *Escob.* n. 346. & *Aversam* supra, item alii cum *Laym.* n. 4. *Castrop.* p. 8. n. 11. *Stoz* n. 81. absolutè dicunt nequidem mutum teneri confiteri scripto, quia modus ille confitendi est secundum se publicus. E. contra *Suar. Vasq. Lug.* n. 87. *Escob.* n. 341. & 347. *Aversa* supra *Arr.* n. 60. *Dicast.* n. 239. *Gorm.* nu. 38. probabilius dicunt, si quis loqui non possit, aut prævideat se

non posse integre confiteri, nisi ex scripto, & prudenter non timeatur manifestatio confessionis apud alios, quia nempe statim postquam scripserit, poterit Sacerdoti ostendere vel confiteri, & comburere, tùm fore obligationem scribendi, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media licita de se facilia: & cùm absit morale periculum manifestationis, scriptura in his circumstantiis non magis censetur aliquid publicum, quàm nutus vel voces, quas audire vel observare etiam posset alius latens in insidiis.

1195. §. 5. Confessio ordinariè fieri non debet scripto, maximè ad Sacerdotem absentem, ut patet ex dictis, hinc *S. Th.* in suppl. q. 9. a. 3. ad 3. dicit potiùs laico quàm Sacerdoti absenti per scriptum faciendam esse confessionem. Idem videtur declarasse *Clemens VIII.* per constitutionem 87. apud *Cherubinum*, ubi damnat hanc propositionem ad minùs ut falsam, temerariam & scandalosam, nimirum *licere per literas seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, prohibetque sub excommunicatione doceri vel praticari tanquam aliquo casu probabilem. Declaravit autem idem *Clemens*, ut ostendit *Dicast.* d. 9. à n. 831. docentque gravissimi Authores cum *Platel.* n. 756. quòd confessio absenti facta non sit invalida, si fuerit ordinata ad absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam, unde *Suar.* & alii apud *Castrop.* nu. 9. qui putârunt propositionem illam non esse damnatam divisivè, id est, quoad singulas partes, sed complexivè propter partem posteriorem falsam, ideo excusantur, quia putârunt *Clementem* loqui De confessione ordinata ad abso-

absolutionem à præsente Sacerdote accipien-
dam: sed nunc satis certum est *Clementem* esse
locutum de confessione non ordinata ad abso-
lutionem à præsente Sacerdote accipiendam,
sed propositio illa volebat confessionem esse
sacramentalem, quamvis ordinaretur ad abso-
lutionem accipiendam ab absente, hinc certum
est propositionem illam esse damnatam etiam
divisive, uti rectè probat *Gonet* d. 12. a num. 58.
Qui autem longiorem voluerit historiam con-
troversie olim habitæ inter Dominicanos &
Jesuitas circa confessionem inter absentes, le-
gat *Gormaz* à n. 232 ubi fusè contendit, ex hoc
quòd sacra Inquisitio voluerit ex tractatu Pa-
tris *Suar.* De Pœn. d. 21. amoveri sect. 4. in qua
quærebatur, an liceret confiteri absenti, non
ideo esse factum, quia confessio nunquam va-
leret inter absentes, sed quia tò *Confessio* sæpe
significat totum Sacramentum Pœnitentiæ,
quod certum est inter absentes confici non
posse, unde sententia *Suar.*, qui tantum volebat
confessionem scripto factam ad absentem ex
intentione absolutionis à præsente, non est
passa per Decretum *Clementis VIII.* vel *Pauli*
V. Videri potest etiam *Viva* in append. ad pro-
pos. damnatas §. 10.

§. 6. Si per literas peccata miseris Sacerdo- 1196.
ti, qui ea legerit, & huic factus præsens dicas,
accuso me de peccatis illis, quæ scripsi, & peto absol-
vi, communis sententia est cum *Arr.* n. 57. *Go-*
net n. 47. *Steph.* tr. 5. d. 5. n. 194. *Stoz* l. 2. n. 99.
confessionem illam sufficere, quia in præsentia
moraliter reperitur, & sic ratificare illud scri-
ptum idem est ac se accusare de illis, quæ scri-
pta sunt: Unde à potiori si præsens peccata

Vu 3

scripta

scripta des Confessario legenda, & postmodum dicas, *de his me accuso petoque absolvi*, Lugo n. 80. & 84. Castrop. n. 8. Gob. tr. 6. n. 523. Arr. supra, Gormaz n. 148. Bosco n. 36. aliique dicunt esse satis, sed rectè monent hoc non esse faciendum absque rationabili causa, quia est contra communem praxin Ecclesiæ, ideoque Illf. n. 63. Platel. n. 748. aliique dicunt hoc, per se loquendo, esse illicitum: & Viva § ult. putat esse mortale.

1197. §. 7. Sot. Dian. Regin. Bonac. aliique cum Escob. n. 331. & 338. dicunt peccari venialiter tantum, si quis absque rationabili causa solo scripto confiteatur, quod Arr. n. 59. dicit esse certum: E contra Suar. Con. Fill. Castrop. n. 8. Gormaz. n. 147. Viva aliique dicunt peccari mortaliter, quia videtur in re gravi prætermitti consuetudo Ecclesiæ. Causæ tamen rationabiles sunt secundum Rayn. in Heter. tom. 16. f. 1. p. 8. n. 28. rationabile pœnitentis commodum: secundum Laym. n. 3., si ægrotus difficulter loquatur: secundum Sporer num. 490. si Confessarius sit surdaster, aut pœnitens ipse, quia surdaster est, nimis altè legat: secundum Castrop., si pœnitens sic peccata sua facilius & apertius faciat intelligi à Confessario: secundum Tamb. si pœnitens scrupuletur, quòd peccata sua aliter non rectè explicet: secundum Suar. & alios cum Aversa l. 4. si puella præmaxima verecundia peccatum suum ore explicare non posset; sed Escob. n. 338. Gormaz. supra & alii rectè dicunt hunc ultimum casum esse metaphysicum, verecundia enim nunquam impediet, quin postea dicere possit, *accuso me de his, quæ legisti.*

§. 8. Putant J. Pontius, *Dicast.* d. 8. nu. 13. 1198.
Herm. d. 3. n. 87. satis esse, si poenitens dans
 descripta peccata dicat, *accuso me de illis pecca-*
tis, quamvis Sacerdos ea necdum legerit, quia
 illa accusatio censetur moraliter manere etiam
 post lecta peccata, sed contradicunt *Lugo* n. 82.
 & *Escob.* n. 335. quia accusatio non fieret per
 sola verba sed simul per scriptum, postea prius
 afferens cognitionem peccatorum, quod se-
 cundum dicta n. 1195., per se loquendo, fieri
 non debet. Putat tamen *Arr.* n. 58. fore satis,
 si in uno moraliter momento simul det scri-
 ptum, & dicat *accuso me de his*, ac ibi expectet
 donec Sacerdos legat, sed *Bosco* n. 44. adhuc di-
 cit debere postea addere saltem hæc verba, *peto*
absolutionem ab illis.

§. 9. Si Confessarius viderit vel aliunde ex- 1199.
 tra confessionem cognoverit tuum peccatum,
 satis erit, si dicas, *accuso me de illo peccato, quod nō-*
si uni habet communis cum *Vasq.* & *Gorm.* su-
 pra, de quo *Suar.* d. 22. s. 6. n. 5. dicit inter Au-
 thores convenire.

§. 10. Ex dictis n. 1195. certum est nunc 1200.
 nunquam posse sacramentaliter absolvi absen-
 tem, quamvis multi apud *Aversam* q. 12. s. 6. &
 apud *Dicast.* d. 5. dub. 4. id antehac tenuerint,
 etiam Thomistæ, hinc *Gonet* id negans merito
 arguitur à *Gorm.* n. 235. Ratio autem est, quia
 si talis absolutio posset unquam esse valida,
 Pontifex non potuisset eam prohibere tan-
 quam illicitam pro omni casu, nam jure divino
 & naturali fuisset licita pro casu extremæ ne-
 cessitatis, nec pro casu illo prohiberi potuisset,
 ut rectè cum aliis *Lugo* d. 17. n. 64. Colligimus
 autem esse pro omni casu invalidam etiam ex

Trid. sess. 14. De pœn. c. 2. ubi dicit Christum voluisse ante hoc tribunal sisti reos, qui sint sui accusatores & testes, quibus postea detur absolutio verbis formalibus, ut dictum est n. 628. nemo autem ad absentem utitur verbis formalibus, & ideo etiam absolutio à censuris dari potest absenti, quia hæc fieri potest scripto, & non requiritur verba formalia; plures congruentias affert *Lugo d. 13. à n. 149.*

1201

§. 11. Ad absolutionem dandam sufficit Confessarium esse moraliter præsentem pœnitenti, tum autem est moralis præsentia, si Sacerdos & pœnitens non longius distent, quam ut adhuc possint, per se loquendo, se mutuò audire, utentes eâ voce, quâ homines in communi colloquio ordinariè uti solent, *Stoz l. 2. n. 100.* Addunt aliqui cum *Tamb. De pœn. c. 2. nu. 11.* sufficere, si non sit major distantia, quam ut se audire possint utentes voce communi colloquentium etiam aliquantò altiore, unde quamvis pœnitens jam è confessionali abeat, & aliis vicinis immixtus non amplius videatur, putant *Bonac. Lugo, Tamb. Gob.* adhuc absolvi posse, eò quòd retineat voluntatem habendi absolutionem, si fortè non habeat & maneat moraliter præsens, quod *Sporer à n. 610.* pluribus exemplis declarat. Addunt aliqui cum *Moya n. 32.* sufficere, si Confessarius adhuc videat pœnitentem, quamvis aliquousque absit, quamdiu enim possunt se aliquo sensu percipere, non videntur simpliciter abesse moraliter ab invicem; hoc tamen videtur nimis extensum, nam certum est me posse videre simpliciter absentem, neque tamen possum simpliciter absentem absolvere, ideoque *Tamb.* meritò dubitat, an cen-

seatur

seatur moraliter præsens, si ad 20. passus distet. Itaque videtur requiri, ut possint, prout ordinariè fit, mutuum inter se sermonem communicare: Unde c. nino rejiciendi sunt illi, qui dixerunt sufficere, dummodo Sacerdos videat domum, in qua est pœnitens absolvendus, quod licet probabile dicat *Leander*, tamen meritò dicit *Moya* oppositum sibi videri certum, pœnitens enim, qui ipsemet nullo sensu percipi potest, non potest dici simpliciter & humano modo esse præsens.

Q. 164. *An inter conditiones confessionis etiam non sit, ut sit sacramentalis.* R. Affirmativè: quando autem sit sacramentalis, dicam n. 1939. De variis vitiis Confessionis videri potest Rayn. in Heter. tom. 16. l. 1. p. 8. ubi n. 33. ex S. Bernardo sem. 3. in festo S. *Andreae* dicit, aliquorum confessionem esse *confusionem*, quia timore extorquetur: aliorum esse *offensionem*, quia fit de aliorum peccatis: aliorum esse *defensionem*, quia fit ad se excusandum: aliorum esse *illusionem*, quia fit ad se jactandum.

ARTICULUS IV.

Quando Confessio sit invalida & quomodo iteranda.

R Esp. I. Id contingit ex duplici capite. Pri-^{mò} ex parte Confessarii, si jurisdictionem non habuit, vel certè impeditam per censuram; vel si formam substantialiter vitia vit; vel non intendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit.

Dico, *nullum*: quia si ob lurditatem, secundum